

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disqvisitio Academica De Sacerdotibus Ac Levitis Novi  
Testamenti Sub Antiqvo Foedere Promissis**

**Krakewitz, Albrecht Joachim von  
[Greifswald], [MDCCXXIX?]**

**VD18 11722126**

Vorwort

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15691**



## PRÆFAMEN.



Xtant in Scriptura Veteris Testamenti ejusmodi oracula divina, quæ disertis verbis docent, quod etiam temporibus *Messiae* futuri sint *Sacerdotes* atque *Levite*. Non permittit Spiritus S. optimus verborum suorum interpres, ut antiquum & dum abolidum revocemus *Sacerdotium Leviticum*, prouti à Deo illud quondam ordinatum & in Mosaicis scriptis delineatum legimus, quia ex quamplurimis tam novi quam antiqui foederis locis novimus, illud tantum usque ad Messiae tempora durare debuisse. Interea, ipsa nihilominus Spiritus Sancti per Scripturam loquens autoritas & Majestas exigit, ut inquiramus, qua mente quave intentione Divinissimus Spiritus per Prophetas vaticinatus fuerit, de *Sacerdotibus & Levitis* sub cœconomia ipsius *Messiae* exhibiti futuris. Sic concordabit Scriptura antiqui & novi foederis; sic innotescet nobis sensus variorum oraculorum Propheticorum; sic unusquisque intelliget, quid sui sit officii, quomodo actiones suas ad nutum & voluntatem Sanctissimi Numinis debeat componere suæque vocationis partibus rite recteque defungi. Ad quod negotium dum nos accingimus, faventissimam Spiritus Gratiæ auram nobis devotissime expetimus, probe memores, quod ipsius luce & vita destinati, hoc, quod jam ingredimur spatium, nunquam feliciter emetiri queamus.

A

§. I.



## §. I.

**P**lacuit Sanctissimo Numini, diversis temporibus ut & per diversos vates ea prædicere, quæ de Sacerdotibus ac Levitis Novi Testamenti revelare voluit. Nos omnium primo extantiora hic, & quidem ex versione SEB. SCHMIDII, afferemus Prophetarum loca huc spectantia.

Psalm. CXXXII. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitia & Sancti tui jubilent. 16. Et Sacerdotes eius induam salutem & Sancti eius jubilando jubilabunt.*

Ef. LXI. 5. *Stabunt vero alieni, & pascent gregem vestrum; & filii aliegenarum (erunt) agricultæ vestri, & vinitores vestri. 6. Verum vos Sacerdotes Jehovæ vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis: Opes gentium comedetis, & in gloria eorum gloriabitimini.*

Ef. LXVI. 19. *Ponam inter illos signum, & mittam ex illis evasores ad gentes, Tharsisch, Pul & Lud, trahentes arcum, Thubal & Janan; (in) insulas longinquas; quæ non audiverunt famam meam: annuntiabunt itaque gloriam meam in gentibus. 20. Tum adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus, munus Jehovæ, super equis, & super currus, & super rhabdis cameratis, & super mulis, & super veredariis ad montem sanctitatis meæ, Hierosolymam, inquit Jehova; quemadmodum adducent filii Israëlis munus in vase mundo (in) domum Jehovæ. 21. (Quosdam) etiam de iis sumam in Sacerdotes (&) in Levitas; inquit Jehova.*

Jerem. XXXI. 14. *Implebo animam Sacerdotum pinguedine; populus autem meus bono meo saturabuntur, dictum Jehovæ.*

Jerem. XXXIII. 17. *Sic dixit Jehova; non excidetur Davidi vir sedens super throno domus Israëlis. 18. Ac Sacerdotibus Levitis non excidetur vir a coram faciebus meis; offerens holocaustum & adolens mincham, & faciens sacrificium omnibus diebus. 19. Porro factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo: 20. Sic dixit Jehova; si irritum reddideretis fædus meum, (fædus) diei, & fædus meum, (fædus) noctis, ut non sit dies & nox in tempore suo. 21. Etiam fædus meum irritum fiet cum Davide, servo meo, ut non sit illi filius regnans super throno illius, & cum Levitis Sacerdotibus, ministris meis. 22. Sicut non numerabitur exercitus*

*calo-*

